



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

20. Nocens alicui in re gravi, ad quam solum erat in pœnitentia, quid teneatur restituere, v. g. damnum cum culpa datum est in seminibus, & plantis, &c. in proxima dispositione; an sit restituendum, ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76432)

RESOL. XIX.

An si quis minatur malum absque animo inferendi, & si possit iuste inferre, valeat retinere quod sic extorquet? V. g. quis potest petere pecuniam credito in ludo perditam; quaritur an si vir Nobilis ob verecundiam accusaturus non erat, aut alio motu accusare volebat, possit accusationem & repetitionem minari, & retinere illud, quae sic minando ab alio extorquet? Idem est de illo, qui potest homicidam aliquem accusare, apud iudicem, &c. Ex p. 4. tr. 4. & Milc. Ref. 34.

Sup. hoc pro repetitione pecuniae in ludo perditae in tom. 6. tr. 4. Ref. 10. §. vlt. & in Ref. 31. §. 1. 2. & vlt.

§. 1. V. g. potest quis homicidam aliquem accusare apud iudicem; potest quis repetere pecuniam credito in ludo perditam; quaritur an si vir nobilis ob verecundiam accusaturus non erat, aut ex alio motu accusare volebat, vel pecunias perditas volebat in iudicio repetere, possit adhuc accusationem, & repetitionem minari, & retinere illa quae ab aliquo sic minando extorquet. Casus potest faciliter accidere, & non est ita facilis, vt aliquis forsitan putaret, nam negatiuam sententiam docet Ludouicus Molina de iust. tom. 2. vlt. 2. disput. 514. num. 4. quia fallacia ac simulatione, & iniuste ab illo extrahit, & dolus in hoc casu dedit causam contractui. Ergo, &c. haec opinio est probabilis.

2. Sed ego contrariam sententiam tanquam probabilioram amplector, quam tueretur Lessius de iust. lib. 2. cap. 17. dub. 6. num. 42. Sanchez de matrim. tom. 1. lib. 4. disp. 9. num. 9. quibus ego addo Castrum Palaum in opere morali tom. 1. tract. 2. disp. 1. pun. 10. num. 5. & ratio est, quia etsi non habeat animum, habet tamen ius accusandi, eoque iure vti potest, quod quidem ius est pretio aestimabile, siue habeat animum eo vtendi, siue non, ergo, nec obstat quoddam simulatio, fallacia & dolus dedit causam contractui, quia non fuit dolus malus, seu iniustus, sed iustus, nam iuste poterat minari accusationem, & repetitionem pecuniarum in iudicio, siue haberet animum, siue non, neque illud quod datur, datur vt deponat animum, sed vt re ipsa non accuset, neque pecuniam repetat, & iuri accusandi, aut repetendi cedat, quorum vtrumque ille praestat: ergo, &c.

RESOL. XX.

Nocens alicui in re graui, ad quam solum erat in potentia, ad quid teneatur restituere, v. g. damnum cum culpa datum est in feminibus, & plantis, &c. in proxima dispositione, an sit restituendum, ac si essent matura, deductis expensis, & secus si longe distabant adhuc? Ex p. 2. tr. 6. & Milc. 2. Ref. 6.

Sup. hoc in tom. 6. tr. 4. ex doctrina Ref. 47. §. Et hoc, cum in fine, & in Ref. 14. §. Nota tamen ad medium, etiam breuiter in veris, quae es. como ei que destruylos sembras.

§. 1. Si damnum, v. g. at. Sayrus in clauis Regia lib. 10. tract. 4. cap. 1. numer. 6. cum culpa datum est in feminibus, & plantis si sint in proxima dispositione, restituendum, ac si essent matura, deductis expensis; secus si adhuc longe distabant. Ita Sayrus. Alij etiam, vt Sotus de iust. lib. 4. quaest. 6. artic. 3. Aragon, Bannez, & Salonijs in 2. 2. quaest. 62. artic. 4. in responsione huius casus aliquas distinctiones adhibent, quas apud ipsos videre potes. Mihi verò sententia Lessij lib. 2. c. 11. dub. 19. probabilissima videtur, qui absolute negans praedictas distinctiones, docet huiusmodi inferentem damnum, siue ex malitia, siue ex negligentia, teneri tantum ad aestimationem temporis praesentis.

RESOL. XXI.

An quis possit per partes restituere, si possit statim totum restituere? Et quid in dicto casu Confessarius facere debeat, circa talis penitentis absolutionem? Ex p. 3. tract. 6. & Milc. Ref. 5.

§. 1. Secundum mentem Nauarri c. 17. num. 69. Abogeli ver. restituitio vlt. §. 5. Antonini part. 1. tit. 2. cap. 8. & Petri à Nauarta lib. 4. cap. 4. dub. 1. §. qui testat statim totum restituere, sed non vult, nisi per partes ob aliquod emolumentum inde sibi promouens, potest absolui, si creditor nolit concedere dilationem partum sibi nocuam, & Confessor probabiliter credat, quod negata absolutione, & dilatione, nunquam, vel non ita vtiliter restituet.

2. At alij docent huiusmodi non esse absoludum, nec Confessarium posse dilationem concedere. Ita Aragon, & Salonijs in 2. 2. q. 62. art. 8. Medina de rest. q. 5. dub. 3. Corduba in sum. q. 68. pun. 2. Sotus de iust. lib. 4. quaest. 8. art. 4. Sayrus in clauis Reg. lib. 10. tract. 5. cap. 5. dub. 5. Molina de iust. tr. 2. disp. 756 & alij Extraneo est, quia eo ipso quod restituere non vult nisi per partes, cum teneatur, & possit totum restituere, vt consentit in detentionem iniquam illius residui, ratione cuius manet in peccato, & consequenter est iniqua absolutionis. Ergo, &c.

RESOL. XXII.

Petrus deambulando per ciuitatem inuenit crumenam cum magna pecuniarum quantitate, fallia debita diligentia, non inuenit Dominum, ideo per multos annos illas sibi retinuit, nunc Confessarius denegat illi absolutionem, si pauperibus dictas pecunias non restituit, quid faciendum? Ex p. 2. tr. 17. & Milc. 3. Ref. 5.

§. 1. Respondeo, magnam esse questionem inter S. R. D. D. cui facienda sit inuentorum restitutio, habet enim dominum, sed incertum, & an inuentor possit ea sibi retinere: Salon. in 2. 2. quaest. 62. art. 5. contr. 5. Valent. tom. 3. disput. 5. qu. 6. pun. 4. Nauarri, de restituit. lib. 4. cap. 2. dub. 7. num. 9. Sayrus in Clauis Regia lib. 10. tract. 5. cap. 2. in princ. Rebellius part. 1. lib. 4. cap. 32. sect. 11. Reginald. tom. 1. lib. 10. c. 14. num. 194. Azor. part. 3. lib. 4. cap. 27. Malderus in 2. 1. vlt. 4. c. 4. dub. 3. de iust. lib. 10. tract. 5. cap. 2. in princ. Couar. 8. no. ad reg. peccati. num. 3. p. §. 1. num. 1. Molina tom. 3. disp. 74. Fernandez in suo exam. theol. p. 1. c. 15. q. 4. n. 9. & alij asserunt restituenda esse pauperibus, modo prius adhibita fuerit sufficiens diligentia in inquirendo domino, si nec posse inuentorem sibi retinere. Probatur, nam haec videtur rationabilis voluntas dominorum, Secundo, quia sic faciendam esse hanc restitutionem communis consuetudinem receptum est.

2. Sed contrariam sententiam amplexi sunt Sarmiento lib. 6. sect. 1. cap. 10. Pet. de Aragon. in 2. 2. quaest. 62. artic. 5. fol. mibi 168. col. 2. Sotus lib. 3. de iust. qu. 3. artic. 3. Per à Nauarr. lib. 4. ap. 2. numer. 75. & probabilis vocat Megala in 2. 2. lib. 2. cap. 4. num. 13. & Lessius lib. 2. cap. 4. dub. 7. n. 48. in fine. Probatur ratione, nam vt ait Sarmiento, in iure eadem reputantur ignorari dominum rei, & rem nullam habere dominum. Sed quando res nullam habent dominum, efficiuntur primi occupantis, Ergo, &c.

3. His ita suppositis, poterat Petrus sibi retinere illas pecunias, sequendo hanc posteriorem opinionem, ideo confessarius non debebat illi denegare absolutionem.